



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

V. Quomodò agat Dei Providentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



que, aut saltem neutri parti nimis inhereat, cogitans semper, ne forte altera pars magis Deo placeat.

V. *Quomodo  
agat Dei  
Providentia.* Ut ad tam sublime fastigium humana mens enitatur, frequenter quaternos contempletur divinæ Providentiæ vultus: Sapientiam, suaviter omnia disponentem: Potentiam, attingentem fortiter ad finem à fine: Justitiam, summa æquitate mala infligentem: Bonitatem, ad optimos fines singula referentem. Hanc potissimum spectari volebat Hieronymus epistola ad Paullam de obitu Blæfillæ: *Bonus est Dominus, & omnia, quæ facit bonus, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur? Plango quod accidit: sed quia sic placet Domino, equo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius? Durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat... Sanus sum? Gratias refero creatori. Languet? Et in hoc laudo Domini voluntatem. In morbis, in orbitate, in viduitate, in quibusvis humanæ vitæ casibus, æquanimis est vir bonæ voluntatis, quia id revolvit in animo: Bonus est*

est



est Dominus, & omnia quæ facit bonus, bona sint necesse est.

V. *Insania & infalicias fortunam sibi fingentium.* Sed & hoc novit: insanos esse, qui suam sibi fortunam fingere & componere malunt, quam à Deo accipere: quasi vel se ament, quantum amantur à Deo; vel sapiant & pervideant utilia ac justa, ut Deus; vel Dei instar, cogitata ad effectum possint perducere. Neque insani modò sunt, sed etiam miserrimi, cum id cogantur esse, quod nolunt. Dicebat Cyprianus libro de Pudicitia: *Semper est misera, quæ sibi non placet, qualis est.* Idem de homine quolibet, in quavis fortuna constituto, dixeris: miser est, qualiscumque & ubicumque sit, qui sibi non placet. Itaque qui semetipsum cruciare non vult, esseque sibi tortor equuleusve assiduus, faciat, quod à Seneca monetur, epistolâ 107. *Hyems frigora adducit, algendum est. Æstas calores refert, aestuandum est. Intemperies celi valetudinem tentat, agrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus.* Alium aqua, alium ignis

M 2

eripiet.